



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio I. De existentia & propria quidditate peccati originalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

SECTIO I.

*Existentia Peccati Originalis in omnibus
Adæ posteris.*

malis: cum ergo remittitur peccatum habituale, Deus dicit remitto meum ius quod habeo ad odio habendum peccatorem, ubi patet quod condonatio non est obiectum condonationis: quando autem Deus dicit volo condonare peccatum habituale, tunc condonatio formalis est obiectum condonationis causalis, ubi nullum est inconueniens quando enim Deus remittit reatum culpæ, remittit ius quod habet ad odio habendum peccatorem, quando autem remittit reatum pœnæ, tunc remittit ius quod habet ad illum puniendum.

DISPUTATIO IV.

De Peccato Originali.

S. Thom. quæst. 81. 82. 83. 84.

ACTENUS ea dixi omnia quæ spectabant ad peccatum personale tum actuale, tum habituale, nunc ad peccatum illud explicandum deuenio, cuius vestigia nos fecit non voluntatis mala, sed corrupta natura: transeunte in omnes per successionem proscriptio-
ne iniquitatis & mortis, ut loquitur Augustinus lib. de peccatorum meritis cap. vlt. Hoc enim verum est peccatum vnicuique innatum & proprium, & tamen pluribus sæculis antiquius ipso peccatore: peccatum originis, origine ipsa prius, imminens omnibus cum ipsa vita vitium: culpa propter quam nemo possit vituperari, quamvis merito possit puniri: vitium inuoluntarium, crimen sine libertate, eò tantum rei quod viuimus.

Differuit de hoc peccato tam mirabiliter, & tam miserabiliter malo accuratissime præter ceteros S. Augustinus in omnibus libris contra Pelagium, præsertim in libris de peccato originali, de peccatorum meritis, de nuptiis & concupiscentia, de baptismo paruulorum, & sex libris contra Iulianum. In quibus toto ingenio pugnans S. Doctor quod fuit in eo mirabile, tota doctrina quæ diuinitus data & diuina fuit aduersus impios certans Catholicam veritatem proposuit de peccato originali, credendam omnibus & tenendam. Quam ego ut ex fontibus eius hauriam triplici capite omnia concludo, prima enim sit existentia & propria quidditas huius peccati. Secundo, causæ præsertim effectiua & subiectiua huius peccati. Tertio, pœnæ tum in hac, tum in altera vita.

QVÆSTIO I.

*De existentia, & propria quidditate Peccati
Originalis.*

S. Thom. quæst. 81.

IN causa duorum hominum (inquit Augustinus I. de peccato originali c. 2.) quorum per unum venundati sub peccato, per alterum redimimur a peccato, fides Christiana consistit. Vnde inquirendum diligenter videtur. Prima enim & maxima controuersia est, vtrum in omnibus Adæ posteris detur peccatum aliquod originale, quod nimirum omnes in origine ipsa contrahant. Secundo, quid illud & quale sit.

Certum est primo, nomine peccati (originalis) communiter intelligi apud Catholicos verum & propriè dictum peccatum quod hominem naturali via generationis descendente ab Adamo, ipso suæ originis momento ita inquinat, ut illum reddat inimicum Dei, indignum celesti beatitudine, ac variis huius vitæ calamitatibus obnoxium, sic enim defectum illum & innatam homini labem vocat sapissimè Augustinus pollutionem, auersionem, mortem animæ, immunditiam, peccatum naturæ, sicque lib. 2. de peccatorum meritis cap. 10. Apostolum explicat S. Doctor Ephes. 2. (eramus natura filij iræ) quia eo ipso momento quo communem naturam generatione accipimus, peccatum illud incipit esse in nobis.

Certum est secundo ex eodem August. ibidem 1. 3. cap. 6. & 7. quæstionem hanc de radice peccati originalis primum in Ecclesia Dei motam esse à Pelagio, cuius (ut loquitur idem S. Doctor I. de hæres. lib. hæresi 80.) proprius fuit error negare peccatum Originis, ut sic contra gratiam Christi pro natura integræ pugnaret. Volebat enim quod peccatum Adæ ipsi soli nocuerit, non generi humano vniuersos infantes nuper natos in isto statu esse, in quo fuit Adam ante præuicationem, imò addebat infanire illos, qui de Adam per traducem asserunt ad nos venire peccatum: Indeque inferebat quod nobis ad reparandas peccati huius ruinas nulla interna gratia opus sit: pueros baptismo egerè non ut mudentur à peccato, sed ut assequantur Dei regnum, ut colligitur ex Concil. Mileuit. can. 2. Sequenti sunt eundem errorem multò postea tempore Albanenses, Armeni, Albigenes apud Armacanum lib. 8. cap. 12. Castro lib. 12. verbo (peccatum) deinde posteriori æuo Anabaptistæ, Zuinglii, Erasmus & Stapulensis similiter delirarunt. In errorem verò extremè oppositum declinarunt Lutherus, Caluinus, Melancthon, & nuperus Augustini deprauator, qui originali peccato tribuunt omnimodam naturæ deprauationem, omnium damnatorum reprobationem, libertatis iacturam, & alia demùm innumera mala.

Ratio autem dubitandi pro Pelagianis multiplex esse potest. Primo enim asserunt quod nemini vnquā aliena peccata imputantur saltem quoad culpam, v.g. Ezechiel. 18. Filius non portabit iniquitatem patris, anima qua peccauerit ipsa morietur, quem locum velut causæ suæ tutissimum firmamentum in ore frequenter habebant Pelagiani teste Augustino lib. 6. contra Iulianum & fauere videtur Apostolus, unusquisque referet prout gessit in corde suo. Quomodo enim iuste vis puniri aliquem, pro eo quod non commisit: ut expressè asserit Chrysostom. hom. 10. ad Rom. & hom. 39. in 1. ad Corinth. ubi fatetur quidem deriuatas esse in nos pœnas peccati Adæ, non autem ipsum peccatum.

Secundo, ratio ipsa & propria quidditas ac conceptus peccati manifestè pugnare videtur cum hoc peccato, quod si voluntarium non sit & liberum cerè peccatum non est, ut fatetur ingenuè Augustinus lib. contra Secundinum Manichæum c. 15. & 16. sed peccatum istud quod vocatur originale, neque voluntarium nobis est, neque aduersatur legi vlli quā puer obligari possit: ubi autem non est lex quomodo erit præuicatio. Quod admoneri non potest ut caueatur, imputari non potest, ut puniatur, nunquam autem legislator ad hanc venit amentiam ut præceperit cuiquam noli ita vel ita nasci. Qui verò dicunt peccatum aliena voluntate voluntarium esse, contradictoria

Quid intelligatur
proprie
nomine
peccati
originalis.

Explicat
hæres
Pelagij, &
aliorum
hæretico-
rum.

Ratio pri-
ma dubi-
tandi.

Secunda.

ria videntur loqui, quomodo enim voluntas alterius sufficere potest ut aliquid dici possit alicui voluntarium: sic enim dici quilibet posset reus omnium peccatorum quæ sunt in mundo præcisè quia sic voluisset Deus, quod argumentum opponebant passim Pelagiani, *nihil esse in homine potest peccati, si nihil est propriæ voluntatis* (inquit Iulianus l. 1. operis imperfecti) *hoc tamen omne hominum genus, quod vel leuiter sapit, concesserit, ex quo fit quod deformis sit & vana sententia, quæ conscientiam sine scientia, paruulis videtur adscribere: absolute enim vindicatur à crimine qui ipsa rei impossibilitate defenditur.*

Tertia.

Tertio, ex causa effectiua huius peccati, multiplex ducitur Argumentum: nam si peccatum aliquod in puero statim atque conceptus est in matris vtero, debet peccati huius aliqua esse causa, illa nec est pueri voluntas ut patet, neque Pater generans, qui læpè dum generat iustus est & baptizatus, imò si causaret peccatum non posset non peccare dum generat: neque Adam ipse qui liberatus est à peccato, *per rerum enim naturam fieri non potest, ut illud tradere probentur parentes, quo caruisse creduntur, ut habetur l. 6. contra Iulianum cap. 7.* Denique anima purè spiritalis à parentibus non attingitur de quorum traduce non venit, quomodo enim illa cum nascatur in manibus Dei omnino innocens, eo ipso quo attingit corpus ita inficitur ut incipiat esse grauissimi reus criminis: vnde illi tantum, & tam graue malum? Denique sequitur iure merito nuptias damnari ut malas, quia ex illis tantum trahitur malum, *omnis enim causa mali est expers boni, ut habetur lib. 2. contra Iulianum cap. 1.*

Conclusio de Fide.

Dicendum tamen est certà & indubitata Fide teneri debere, quod ex vnico illo primi parentis peccato in omnes eius posteros, verum & propriè dictum deriuatur peccatum, quo denominamur reuera peccatores, & digni constituimur aternà damnatione, tanquam inimici Dei, & iuste ab eo exosi. Ita constanter pronunciant cum omnibus Scripturis, cum omnibus Conciliis, cum omnibus Patribus, cum vniuersa Ecclesia, Orthodoxi omnes Doctores, tractant autem & probant accuratissime Albertus Pighius *controuersia prima*. Catherinus *opusculum ea de re*. Driedo *tom. 2. lib. 2. de gratia tract. 3.* Sotus *lib. 1. de natura & gratia cap. 10. & seq.* Vega *lib. 2. in Concilium Tridentinum cap. 11. & 12.* Lindanus *in Panoplia l. 4. cap. 10. & 11.* Bunderius, Ruardus, Bellarminus.

Necitur primò scripturæ.

Primum autem fundamentum ducitur ex scripturis vtriusque testamenti, nam primò argumentatur optimè Augustinus lib. 16. Ciuit. cap. 27. ex Genesis 17. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo meo, quia pactum meum irritum fecit, puer autem ex defectu circumcisionis non potest petire nisi propter peccatum originale.* Deinde alterum etiam locum vrgit Sanctus Doctor in Psalmum 50. qui habetur Iob. 14. ex versione 70. Interpretum, *nemo mundus à sorde, neque infans, cuius est vnus dies vita super terram, & ibidem nota illa Dauidis verba de hoc peccato explicat Augustinus, ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Tertio, luculenta sunt apud Apostolum testimonia, quibus Pelagianos passim insequitur Doctor gratiæ, Ephes. 2. *Erant natura filij ire, id est originaliter, iuxta interpretationem Augustini 2. ad Corinth. 5. Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: Nega* (inquit Augustinus Iuliano) *Christum pro paruulis mortuum esse ut eximas eos de numero mortuorum: Sed nullum proferri potest vel illustrius vel expressius argumentum, quam Apostoli verba Romanorum 5. Sicut per vnum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per*

peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Quem locum nullà prauā interpretatione detorqueri posse ad alium sensum, definitur in Concilio Mileuitano, Arauficano 2. & Tridentino sess. 5. can. 2. & 4. Pobatque fulissime Augustinus lib. de natura & gratia cap. 39. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 9. & 12. vbi malignam Pelagianorum cauillationem præcludit, qui dicerent peccatum non propagatione, sed imitatione intrasse in mundum per peccatum vnius hominis, ostendit videlicet stare hoc nullo modo posse cum sequentibus Apostoli verbis, regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen etiā in eos qui non peccauerunt, in similitudinem prauaricationis Adæ. Negat ergo Apostolus peccasse illos omnes imitatione Adæ, in quos mors pertransiit, & tamen dixerat prius peccasse illos omnes in Adam, in quos mors pertransiit, ergo peccasse in Adam non est imitatio sed transgressio.

Secundum fundamentum est perpetua Ecclesiæ definitio, & traditio, primò enim definita est veritas hæc à variis Pontificibus, Innocentio I. *epistola 25. & 26.* Leone I. *epistola 22. & 81.* Gregorio Magno *lib. 7. epistola 16.* Secundò etiam definita est à Conciliis: Mileuitano, Palæstino, Arauficano, Tiberiano, Eliberitano, Tridentino *tota sess. 5.* vbi certissime dicitur quod *peccatum originale vnum est origine, propagatione plura, transfusum omnibus, & singulis proprium.* Tertio, Patrum antiquiorum testimoniis Augustinus pugnat aduersus Pelagianos *lib. 1. & 2. contra Iulianum*, vbi adducit Irenæum, Cyprianum, Rétium, Olympium, Hilarium, Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, Hieronymum, alios plures referunt Vasques & Bellarminus, Augustinum collegit optimè Hieronymus Turrianus in confessione Augustiniana, & Ambrosium Nopelius in confessione Ambrosiana.

Tertium fundamentum est multiplex ratio ex aliis ducta principiis Fidei, ratio enim nulla est purè naturalis. Prima est quam vrget Augustinus lib. 6. *contra Iulianum cap. 4.* generalis redemptio per Christum. Si enim omnium puerorum Saluator est & Redemptor Christus, nihil est dubium quin illi primi parentis peccato maculati sint, quod argumentum erat Apostoli Rom. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: & 2. ad Cor. 5. Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Altera est quam egregie idem Augustinus lib. 4. de peccatorum meritis cap. 24. Necessitas est baptismi, quo peccatum abluitur in origine contractum, generalis enim est Christi propositio, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* & constat ex Ephes. 5. quod in remissionem peccatorum datur baptismus. Nugabantur enim Pelagiani negantes baptismum prodesse pueris ad eluendam maculam peccati, neque ad obtinendam beatitudinem, sed ad ingressum in regnum cælorum, quod aliud sanè non est quam vera beatitudo.

Ad primam, in qua opponebatur autoritas scripturarum respondeo primò quidem ad locum Ezechielis cum Augustino lib. 3. de peccatorum meritis cap. 8. Filium non portare iniquitatem Patris quando iniquitas illa solius Patris propria est, ita vt non sit illi communis cum filio, si autem filius particeps sit huius iniquitatis, certè nulla est ratio cur non eam etiam ferre debeat. Peccatum autem commissum ab Adamo vt persona publica, & generali capite omnium hominum, non fuit illi soli proprium vt dicam statim. Locum Apostoli explicat Anselmus lib. 2. de conceptu Virginali cap. 18. *Vnusquisque referet prouersum, vel propriam voluntatem, vel alienam: imò de solis adultis ibi propriè sermo est, quia illi soli iudicabuntur.* Chrysostomum interpretatur Augustinus lib. 1. contra

Necitur secundo definitione Ecclesiæ & traditionibus.

Necitur tertio multiplici ratione supposita fide.

Solamur rationes dubitandi.

S. I.

Verum peccatum originale sit concupiscentia.

contra Iulianum quod dixerat in pueris nullam esse actuale culpam, sine qua non sunt grandiores, vel dubitatur tantum, & interrogando loquutus est, suam enim mentem satis aperte declarauit pluribus aliis in locis ut demonstrat Augustinus ibidem cap. 2.

Ad secundam & tertiam ut respondeatur explicanda sunt quidditas & causa huius originalis peccati, quod esse difficillimum fatetur ingenuè Augustinus epist. 26. & 28.

SECTIO II.

Quidditas & propria ratio peccati originalis.

S. Thom. q. 82.

Datur ergo in nobis peccatum illud antiquum & magnum, quo nihil est (ut loquitur Augustinus lib. de moribus Ecclesiae cap. 22.) ad predicandum notum, nihil ad intelligendum secretius. Quid enim & quale peccatum illud esse possit quo etiam infans inficitur multos inuenio qui explicant, neminem video qui dicat se quod explicat intelligere.

Certum igitur primò est, tres esse sententias de quidditate peccati originalis adeò improbables ut nullà egeant refutatione. Prima est Origenis qui volebat nihil aliud esse peccatum originale quam aliquod peccatum prius ab anima contractum, quam vniretur corpori, vbi supponebat existentiam animarum ante corpora, & negabat peccatum ipsa origine transfundi, quod vtrumque Fidei repugnat. Secunda est Magistri sententiarum in 2. dist. 30. vbi vult peccatum originale prauam esse aliquam qualicetam/deriuatam ex infectione carnis ordinario modo seminata in ipsam animam, quæ per eam deprauata voluntate sua inclinatur ad creaturas. Quia videlicet primi parentis corpus peccato eius proprio infectum fuerit, & cum ipso corpore inquinatum sit semen, ex quo deriuetur infectio in corpus seminatum, & ab eo transeat in animam, sicut liquor pretiosus cum in vâs immittitur infectum. Ita enim videtur loqui Augustinus lib. 1. contra Iulianum cap. 7. & sequuntur Henricus Gandauensis, Gregorius, Driedo, Michaël Baius, quod etiam statim patet quam sit improbabile. Tertia est Matthæi cuiusdam Illyrici apud Valentiam, Bellarminum, Becanum, qui docebat peccatum originale, non esse aliquod accidens, sed substantiam quandam nouam ab ipso dæmone fabricatam & veram dæmonis ipsius imaginem. Cum enim (inquiēbat infans histrio) homo acceptus non physice sed Theologicè, per inditam sibi formam intrinsecam factus ad imaginem Dei esset, & ad omnem virtutem propensus, aliam à dæmone formam accepit priori oppositam, per quam ad omne vitium propensus veram parentis dæmonis effigiem exprimit in seipso. Quod ut vides risu dignius est quam refutatione.

Certum est secundò, tres esse sententias minus improbabiles, de quibus sigillatim dicendum est, ut possit intelligi vera huius peccati quidditas. Prima statuit nihil aliud esse peccatum originale, quam infectam homini concupiscentiam, pro ut deprauatam à peccato primi hominis, & rebellem rationi. Secunda statuit illud esse priuationem gratiæ debitæ pro ut causatam à prauaricatione Adami. Tertia vult peccatum originale non esse aliud, quam peccatum ipsum Adami vel extrinsecè duntaxat hominem denominans, vel certè moraliter in eo perseverans, & illum habitualiter maculans, quæ tria sigillatim expendenda sunt.

Tom. I.

Concors hæreticorum omnium huius temporis sententia est, non esse aliud in nobis peccatum originale quam appetitum illum rebellem rationi quo inclinamur ad creata bona deserto creatore, siue illa sint delectationes carnis, siue alia quælibet bona spiritualia, vel corporalia, quæ sine peccato appeti nequeant. Hanc videlicet velut accensam in nobis fornacem postquam iustitia originali priuati sumus, esse veram maculam & totum peccatū quod appellatur originale senserunt Lutherus, Caluinus, & alij sectarij apud Bellarminum lib. 5. de amissione gratiæ & statu peccati 5. quibus accessit sine dubio nuperus dogmatistes toto lib. 1. de statu naturæ lapsæ, vbi statuit hanc esse Augustini, omniūque veterum Patrū & Ecclesiæ totius Catholicæ sententiā quod concupiscentia sit in nobis peccatum originale sumptum materialiter, cuius reatus sit formale ipsius peccati, quod sic ille intelligit ut omnino vellet concupiscentiam illam esse propriè peccatum & mortem animæ ut patet ex cap. 14. non absolute in se, sed pro ut est habitualis quædam propensio ad creaturas atque adeò auersio à creatore. Vnde subdole ille in peccato originali distinguit materiale, quam dicit esse concupiscentiam, & formale, quem dicit esse reatum ipsum concupiscentiæ, quo nomine nihil sanè aliud intellexit quam concupiscentiam ipsam pro ut auertentem à Deo & conuertentem ad creaturas, hæc enim inclinatio & propensio appetitus appellat reatum peccati & illius formale, donec liberatoris Christi gratia sanetur.

Ratio autem dubitandi primò ex variis de more, petitur scripturis, vbi humani cordis prauitas & corruptio describitur tanquam effectus peccati originalis, cum tamen effectus sit deprauati appetitus: Genesios 6. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*: Apostolus Rom. 3. describit illam ex variis Psalmis *non est inustus quisquam, omnes declinauerunt*, &c. deinde ibidem c. 7. appellatur concupiscentia peccatum in nobis habitans, interna peccati lex; Hebr. 12. *Pondus & circumstans peccatum*.

Secundò, hæc etiam videtur imò est haud dubiè sententia S. Augustini, quam innumeris ita expressit in locis ut dubitari de illa non possit, v. gr. lib. 5. contra Iulianum cap. 3. dicit *concupiscentiam & peccatum esse quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & penam peccati, quia reddita est meritis inobedientis, & causam peccati, defectione consentientis, & contagione nascentis*, & lib. 2. cap. 10. loquens de concupiscentia sic ait, *non est hoc malum nuptiarum, sed primorum hominum peccatum in posteros propagatione traiectum*, & lib. 3. cap. 21. concupiscentiam appellat malum originale, cuius, inquit, *motibus mecum repugnas, & cuius contra me laudibus pugnas*. alia possunt plurima, ex lib. 4. cap. 1. lib. 6. cap. 15. ex lib. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 25. unde fatetur etiam Sanct. Thomas quæst. 83. artic. 3. quod concupiscentia materialiter saltem est peccatum originale.

Tertiò, id quod repugnat legi diuinæ peccatum est, huiusmodi est appetitus originali iustitia destitutus, ergo ille reuerà est peccatum originale: cur enim ille non æquè dici poterit peccatum originale, quam priuatio gratiæ in qua totam peccati huius quidditatem, Theologi reponunt fere omnes.

Dico primò, concupiscentiam quemodocunque sumi possit nullo modo esse peccatum originale, neque

Sententia
sectariorū
huius tem-
poris ex-
plicatur.

Proponi-
tur prima
ratio du-
bitandi.

Secunda.

Tertia.

Prima
conclusio.

K k k

que

que pertinere ad eius essentiam, nec esse aliquam eius partem. Ita censent & censere omnino debent Orthodoxi omnes Theologi post Tridentini definitionem *sess. 5. can. 5.* ubi Catholica ea veritas definitur contra Lutherum & Caluinum, petentque omnino noui dogmatistæ caput, & vniuersam eius doctrinam erroris arguit.

Ratio
prima.

Primò enim argumentari cum eodem concilio licet ex effectu baptismi, per quem certum est ex fide totum remitti quod habet rationem peccati, sic enim testantur scripturæ *Isaia 27. Dimittitur iniquitas Iacob, & iste est omnis fructus ut auferatur peccatum eius, & aperte dicitur Rom. 8. Nihil esse damnationis iis qui sunt in Christo Iesu, Rom. 6. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vite ambulemus.* Certum autem est quod in renatis, & purgatis ab omni peccato manet concupiscentia etiam inclinans ad creaturas, & ad bona quælibet sensibilia contra rationem, atque auertens à Deo, ergo certum est ex Fide in nullo vero sensu dici posse, quod concupiscentia propriam habeat rationem peccati originalis, quocunque illa modo sumatur.

Ratio
secunda.

Secundò, mirum est illam etiam doctrinam tribui Augustino, qui sæpè illam reijcit ut absurdam v. gr. lib. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 22. *Hæc concupiscentia sic vocatur peccatum quia ex peccato facta est, cum in iam regeneratis, non sit ipsa peccatum, si ei ad illicita opera non consentitur, sicut vocatur lingua loquutio quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus, itemque vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quod à pigris fiat, sed quod pigros faciat.* & lib. 6. contra Iulianum cap. 7. *Percipitur in baptismo Christiano perfecta nouitas, & perfecta sanitas.* & cap. 5. *Regeneratus omni peccato caret, non omni malo.* Sic etiam in *Plalm. 50.* cum dixisset *trahitur iniquitas ex Adam,* statim addit etiam ipsum *vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est, nemo nascitur nisi trahens penam, trahens meritum pœne.* Denique lib. 1. retractationum cap. 15. *Hoc peccatum de quo sic Apostolus loquutus est, ideo peccatum vocatur quia à peccato factum est, & pœna peccati est, quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur: Quam etiam esse Catholicam fidem pronunciat Tridentinum canone illo 5. citato, ubi simili modo explicat Apostolum.*

Ratio
tertia.

Tertiò, in statu puræ naturæ esset in nobis concupiscentia inclinans ad bona sensibilia, neque tamen peccatum esset originale. Imò concupiscentia non est defectus aliquis quem habere prohibeamur, nihil enim malum est nisi obedire concupiscentiæ, igitur ipsa concupiscentia non est peccatum.

Responde-
tur ad pri-
mā ratio-
nem dubi-
tandi.

Ad primam Resp. nihil ex illis Scripturis probari, nisi quod relicta nobis est per peccatum inclinatio maxima, & propensio ad malum quod nemo negat: Imò & concupiscentia ex se ipsa post peccatum, ita inclinata & prona in obiecta sensibilia, & rebellis rationi verus est effectus peccati originalis, sed non est peccatum originale, quamuis & à peccato prodeat, & verè ad peccata omnia inclinet, ut verè dixerit Augustinus l. de spiritu & littera cap. 4. explicans illud Apostoli (non concupisces, *saluberrimum* (inquit) *preceptum est, quod si quis impleuerit nullum habebit omnino peccatum.*

Ad secun-
dam.

Ad secundam Resp. sæpè solere August. sumere peccatū originale, pro iis quæ ipsi adiuncta sunt, seu pro cōplexo illo toto quod continetur vel causatur ab ipso peccato, ideoque dicere illū aliquoties quod peccatum istud est concupiscentia cum reatu, ubi nomine (reatus) non intelligit S. Doctor inclina-

tionem solam appetitus ad sensibilia, ut malè illum interpretantur aduersarij, sed intelligit auersionem illam à Deo, quæ vel est priuatio iustitiæ, vel macula inficiens animam eodem modo quo Adamum maculauit & reum constituit; concupiscentia ergo sola nunquam appellatur peccatum originis, sed concupiscentia cum reatu, id est reatus ille inducens concupiscentiam quæ vocatur peccatum materialiter (inquit S. Thomas) id est aliquid adiunctum peccato, natum ex peccato, & ad illud inclinans. Et hanc esse mentem S. Augustini patet ex verbis eius relatis nuper, deinde patet ex Concilio Tridentino à quo veritas Catholica, & doctrina S. Augustini expressa est canone illo 5. *Hanc concupiscentiam* (inquit) *quam aliquando Apostolus appellat peccatum, sancta synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse, quod verè & propriè peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, si quis autem contrarium senserit anathema sit.* Quod desumptum esse videtur ex Augustino lib. 1. contra 2. epist. Pelagij c. 23.

Ad tertiam

Ad tertiam Resp. concupiscentiam in actu primo non repugnare vllō modo diuinæ legi, actualem autem concupiscentiam repugnare omnino si ei accedat consensus, priuatio gratiæ non est peccatum originale ut ostendam statim, & si esset differret nihilominus à priuatione iustitiæ originalis, quia priuatio gratiæ auertit hominem à Deo, priuatio autem originalis illius iustitiæ manet in renatis, neque auertit hominem à Deo.

S. II.

Virum peccatum originale sit priuatio gratiæ.

Duo præstabat gratia originalis in homine, ut constabit postea. Primò totum hominem reddebat gratum & subiectum Deo. Deinde carnem totam reddebat subiectam & obedientem rationi. Communior ergo Theologorum sententia vult peccatum originale non esse aliud quàm priuationem illam gratiæ originalis, non propt subiectentem carnem (spiritui, nam hoc hæreticum est, ut dixi, sed propt subiectentis hominem Deo: volunt enim peccatum originale consistere in priuatione gratiæ debite propt causata per ipsum primi parentis peccatum.

Duo effe-
ctus gratiæ
originalis.

Sed in modo tamen explicandi priuationem hanc non conueniunt, nam Vasques contendit peccatum illud adæquatè constitui per priuationem hanc gratiæ propt voluntariam non ipsi paruulo, sed Adamo duntaxat, qui iustitiam acceperat retinendam tum pro se, tum pro aliis, ideoque iuxta Vasquem peccatum hoc non est defectus in operatione, sed in natura, cum sit priuatio gratiæ propt sequens voluntariam transgressionem Adæ. Alij ut Bellarminus, Suares, Tannerus, Valentia volunt peccatum originale non esse priuationem gratiæ nisi partialiter, quia inquirunt, est priuatio gratiæ, propt voluntaria non solum Adamo, sed ipsi etiam paruulo cui moraliter voluntarium fuit Adæ peccatum, quia ille peccauit ut caput omnium posterorum; est enim peccatum originale iuxta illos priuatio gratiæ, propt voluntaria moraliter ipsi paruulo propter peccatum Adami in quo continebatur tanquam in capite.

Ratio autem dubitandi est primò, quia sic definiti- uis videtur Concilium Tridentinum cum dixit *peccatum originale mortem esse animæ*, sed sola priuatio gratiæ mors est animæ cum sola gratia sit animæ vita, ergo peccatum originale est priuatio gratiæ. Deinde dicitur in concilio quod *peccatum proprium est & inherens singulis*, sed nihil excogitari potest intrinsicum & proprium singulis hominibus præter priuationem gratiæ ergo illa sola est peccatum originale.

Primaria
ratio dubi-
tandi.

Secundò,

Secunda. Secundò, ita censet sine dubio Sanctus Anselmus, lib. de conceptu Virginali cap. 26. vbi sic ait: *Hoc peccatum quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, præter ipsam quam supra posui factam per inobedientiam Adami gratia nuditatem.* Neque negari potest quin illa sit mens Sancti Thomæ articulo 3. citato, vbi statuit peccatum originale non esse aliud quam priuationem subiectionis humanæ mentis ad Deum.

Tertia. Tertio, non videtur alio vllò modo explicari posse quid sit hoc peccatum, & quomodo illud à primo parente deriuatur ad posteros eius, si non est priuatio gratiæ, non est autem difficile capere quomodo per peccatum talis priuatio à primò parente in eius posteros deriuata sit, quia scilicet etiam inter homines quando læsæ Maiestatis reus est aliquis parens, filij eius & poiteri auitæ nobilitatis titulo priuantur, aliter autem explicare peccatum hoc, non videtur possibile. Imò priuatio illa gratiæ prout voluntaria physicè soli Adamo, vel certè prout moraliter voluntaria ipsi paruulo, verè auertit hominem à Deo, & reddit illum dignum priuatione gloriæ, ergo non est pœna solum peccati, sed verum peccatum; pœna enim non meretur aliam pœnam.

Conclusio secunda. Dico secundò, peccatum originale non videtur esse formaliter priuatio gratiæ. Ita censet cum autoribus pro vera sententia mox citandis Catherinus, Pighius, Caietanus, Zamel, & Curiel.

Ratio prima. Ratio autem est primò, quia illud solum in pueris esse potest peccatum originale, quod in Adamo est peccatum personale habituale, sed priuatio gratiæ non fuit in Adamo peccatum habituale personale, ergo priuatio gratiæ non est in nobis peccatum originale. Probatum maior ex Concilio Tridentino sess. 5. Can. 1. & 2. vbi dicitur: *Peccatum Adæ quod origine vnum est propagatione transfusum in posteros, inesse unicuique proprium.* Vnde argumentor illud solum est peccatum originale quod est peccatum Adæ in nos transfusum, sed quod non est peccatum in Adamo, non est peccatum Adæ in nos transfusum, ergo quod non est peccatum in Adamo, non est in nobis peccatum originale. Deinde argumentor etiam ex eodem Concilio sess. 6. in decreto de Iustificat. cap. 7. vbi dicitur quod in iustificatione quæ fit per baptismum duo reperiuntur remissio peccati, & infusio gratiæ, sed si sola priuatio gratiæ peccatum est originale, falsum est quod in iustificatione per baptismum infusio gratiæ aliquid sit distinctum à remissione peccati vt patet, ergo priuatio gratiæ non est peccatum originale.

Secunda. Secundò rationes omnes quæ probant peccatum personale habituale non esse priuationem gratiæ, probant similiter peccatum originale non esse priuationem gratiæ, prout est à peccato actuali Adami. Prima enim ratio erat, quia, priuatio gratiæ pœna est peccati actualis & est à Deo à quo esse nequit peccatum, sed similiter priuatio gratiæ originalis est pœna peccati Adami, ergo illa non est peccatum originale, alioqui eodem prorsus iure dici posset quod priuatio gratiæ peccatum esset personale habituale. Neque dicas priuationem gratiæ pœnam esse respectu peccati Adæ, non respectu peccati paruulorum. Contra enim insto, quia similiter dici posset quod priuatio gratiæ pœna est respectu peccati actualis, non respectu peccati habitualis. Deinde Deus est vera causa huius priuationis quocunque illa sumatur modo, non est causa huius peccati, ergo peccatum non est priuatio gratiæ. Præterea peccatum istud originale potuit esse multiplex, potuit esse veniale, potuit alterius esse speciei, quæ omnia falsa sunt, si priuatio gratiæ peccatum est originale. Denique omne quod verum

Tom. I.

habet rationem peccati qualem habet sine dubio peccatum originale, debet esse transgressio voluntaria diuina legis, vel actualis, vel moraliter perseverans, sed priuatio gratiæ non est transgressio legis diuinæ, ergo illa non potest habere rationem peccati. Imò si esset aliqua creatura quæ mihi posset auferre gratiam, Deus autem præciperet illi ne mihi eam auferret certè illa priuatio diceret ordinem ad alterius peccatum, & tamen non esset peccatum, ergo priuatio gratiæ prout dicens ordinem ad peccatum Adæ non est peccatum originale.

Ad primam Respondebam agens de peccato habituali, peccatum originale mortem esse animæ casualiter & demeritorie, non autem formaliter, quo etiam modo peccatum personale mors est animæ. Quomodo autem illud singulis proprium sit & intrinsecum, quamuis non sit priuatio gratiæ statim dicam.

Ad secundam Respondeo explicari à nonnullis Sanctum Anselmum, & Sanctum Thomam, quod per nuditatem iustitiæ intellexerint carentiam iustitiæ actualis quæ subiectio est ad Deum, omne peccatum priuatio est huius iustitiæ, quia est iniustitia quadam vel positiua vel negatiua, illa verò iniustitia manens moraliter in paruulo est peccatum originale.

Ad tertiam vt respondeatur explicandum est quid sit igitur peccatum illud, nego enim quod sola priuatio gratiæ auertat hominem à Deo, vt statim patebit.

§. III.

Utrum peccatum originale aliquo modo sit ipsum Adami peccatum.

SI neque concupiscentia, neque priuatio gratiæ dici possunt esse peccatum originale solum superesse potest peccatum Adæ cui conuenit propria huius peccati ratio: sed hoc dupliciter intelligi quoque potest. Primò quod vnicum illud peccatum soli Adamo intrinsecum, & omnino extrinsecum nobis sit peccatum originale, quatenus Deus imputat illud omnibus Adæ posteris, atque inde propter imputationem hanc Dei peccatores denominentur, non autem per aliquid intrinsecum singulis inherens. Quæ fuit sententia Catherini, & Alberti Pighij. Secundò, potest intelligi quod Adæ peccatum sit peccatum ipsum originale eo quod peccante Adamo, nos etiam omnes interpretatiuè ac moraliter peccauerimus, eo quod propter Dei pactum voluntates omnium hominum in Adami voluntate fuerint inclusæ, vnde sicut post illud peccatum mansit in Adamo macula quæ peccatum erat præteritum moraliter perseverans, sic ante baptismum in nobis talis macula resideat, quæ non sit aliud quam peccatum Adami prout moraliter & interpretatiuè moraliter fuit nostrum, & prout moraliter manet in nobis intrinsecum & singulis proprium.

Ratio ergo dubitandi tota est primò, quia impossibile omnino videtur vt peccante Adamo nos omnes moraliter peccauerimus, hoc autem est necesse vt peccatum originale sit peccatum Adami prout proprium singulis & intrinsecum: maior illa probatur, quia vt nos omnes peccante Adamo peccauerimus oportuit, vt intercesserit Dei pactum aliquod cum Adamo, per quod translatæ fuerint voluntates nostræ in voluntatem ipsius Adami tanquam capitis vniuersalissimi, quæ voluntas fuerit voluntas omnium: hoc autem videtur esse chimæricum, & non tantum gratis confictum, sed etiam impossibile; igitur est impossibile vt peccante Adamo nos omnes moraliter peccauerimus.

Kkk 2

Secundò,

Solutio prima ratio dubitandi

Secunda.

Tertia.

Quot modis intelligi possit Adami peccatum esse peccatum originale.

Proponitur prima ratio dubitandi.

Secunda. Secundò, videtur sequi quod vnicuique duntaxat est in omnibus prorsus hominibus peccatum originale, soli Adamo proprium & intrinsecum, extrinsecum verò & per solam imputationem singulos denominans Adæ posteris.

Conclusio tertia. Dico tertio, peccatum originale non est solum actuale Adami peccatum prout singulos homines extrinsecè denominat propter diuinam imputationem. Ita contra Catherinum & Pighium censent Catholici omnes Doctores qui placitum contrarium damnant erroris, & sanè meritò.

Ratio conclusio- nis. Primò enim rejicitur ex eo quod Apostolus Roman. 5. peccatum quod generatione trahimus ex Adamo, comparat cum iustitia quam in regeneratione spirituali habemus per Christum: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vita, &c.* Sed in regeneratione spirituali, non extrinsecè solum iusti constituimur per imputationem iustitiæ Christi sed per veram & inhaerentem iustitiam, ergo in generatione naturali non extrinsecè solum peccatores denominamur, per imputationem peccati Adæ, sed propria & intrinseca iniquitate maculamur: Deinde aperta est in contrarium definitio Tridentini sess. 5. can. 3. ubi dicitur peccatum Adæ quod origine vnum est, & propagatione non imitatione transfusum, inesse singulis hominibus proprium, ergo non extrinsecè solum denominat homines, sed reuerà maculat intrinsecè: imò canone 5. dicitur quod per baptismum tollitur in nobis & remittitur peccatum originale, & non tantum non imputari, sed si peccatum originale non esset nisi sola imputatio peccati Adami, baptismum solum tolleretur hæc imputatio, ergo clarum est ex Concilio quod peccatum originale non est solum illud Adami peccatum, prout extrinsecè imputatur.

Conclusio quarta. Dico quartò, peccatum originale formaliter est macula similis illi quæ mansit in Adamo postquam commisit peccatum: atque adeò est ipsummet Adami peccatum prout moraliter & interpretatiue fuit peccatum nostrum, & prout in nobis moraliter perseverans. Ita docent multi recentiores eruditissimi Franciscus Turrianus episcopus ad Jacobum Amyotum de peccato originali, Curiel, Zumel, de Lugo, Arriaga, Martinonius.

Probatur primo. Ratio autem primò sit, quia, peccatum originale debet esse aliquid quod verè ac propriè sit peccatum, quod sufficienter sit voluntarium, quod vnicuique intrinsecum sit & proprium: sed habere illa omnia non potest si non sit macula singulis hominibus propria, & intrinseca similis ei, quam transacto peccato contraxit Adam, & quam adulti omnes per propria peccata contrahunt; nihil enim aliud habere potest propriam rationem peccati & esse singulis proprium ac intrinsecum, ergo peccatum originale est huiusmodi macula: Maior ut dixi doctrina Concilij Tridentini: minor autem patet, quia neque concupiscentia, neque priuatio gratiæ neque peccatum actuale Adami prout imputatum Deo sufficit ad peccatum originale. Vnde

Probatur secundo. Secundò argumentor quia si peccatum actuale fuit moraliter & interpretatiue peccatum omnium posterorum eius, id est si peccante actu Adamo nos etiam omnes moraliter peccatum idem commissimus, potest esse in nobis macula similis ei quam transacto peccati actu Adamus contraxit: sed peccante actu & physice Adamo nos etiam omnes moraliter peccauimus, & interpretatiue peccauimus, ergo peccatum originale potest esse macula similis ei quam Adamus habuit: Minor in qua est tota difficultas huius materie probatur primum ex Apostolo c. 5. ad Roman. Et ita

(inquit) in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccauerunt, sed peccare in Adamo nihil est aliud quam peccare Adamo peccante, ergo peccante Adamo eius omnes posteris moraliter peccauerunt. Deinde si fieri possit ut peccante Adamo nos etiam omnes moraliter peccauerimus, certè affirmari debet, quod reuerà peccauerimus peccante Adamo, sed hoc fieri potuisse probatur quia ut peccante Adamo interpretatiue peccare potuerint eius posteris, non requiritur aliud nisi ut Deus transferre potuerit voluntates omnium posterorum Adami, in voluntatem ipsius Adami ut capitis, ita ut in eius voluntate omnium posterorum eius voluntates continerentur, & ita ut physica eius operatio esset moraliter operatio omnium posterorum eius, sed Deus potuit transferre ita voluntates omnium posterorum in Adami voluntatem, ergo peccatum physice voluntarium Adamo potuit esse moraliter peccatum voluntarium omnibus eius posteris. Minorem admittere sine dubio debent omnes qui peccatum admittunt originale, quomodo enim peccauimus omnes in Adamo, si voluntas Adami non continebat nostras omnium voluntates, id est si constitutus ita non fuit caput, ut eo peccante nos etiam peccauerimus. Quod quia totam mysterij huius obsecrissimi continet difficultatem, propterea explicandum illud est paulo diligentius. Ex quibus abundè manebit soluta tota ratio dubitandi.

S. IV.

An & quomodo fieri potuerit ut peccante Adamo, vniuersi etiam peccauerint eius posteris, & ut eius voluntas contineret omnes voluntates.

Videntur tria hæc esse prorsus synonyma, 1. quod peccate Adamo peccauerint omnes eius posteris. 2. quod Deus constituerit Adamum caput omnium posterorum feceritque cum eo pactum de transfundenda in omnes vel iustitia vel iniustitia: tertio quod voluntates omnium posterorum Deus transfunderet in voluntatem vnius Adami quæ moraliter fuerit voluntas omnium eius posterorum propter pactum illud. Hæc (inquam) tria idem significant, pendent autem omnia ex pacto illo quo Deus transfudit voluntates omnes in voluntatem Adami.

Videtur igitur hoc esse impossibile primò, quia implicat ut voluntas alterius reputetur voluntas mea, quando ego non possum eam impedire, vel determinare, vel imperare; non enim aliter intelligi potest quod ego velim altero volente: sed posteris Adami nondum existentibus non poterant eius voluntatem impedire, determinare, imperare, ergo fuit omnino impossibile ut voluntas reputetur voluntas posterorum eius.

Secundò, Deus non potest transferre meam voluntatem in voluntatem alterius, magis quam bruti appetitum in voluntatem meam, habet enim in omnia æquale dominium, sed nemo dixerit quod Deus possit transferre appetitum bruti in meam voluntatem, ergo neque meam voluntatem transferre Deus potest in voluntatem alterius. Deinde si Adam ante peccatum procreasset liberos, non potuisset Deus efficere, ut peccante Adamo illi peccarent, ergo neque potuit Deus efficere ut illi peccarent, peccante Adamo antequam illi nascerentur. Denique vel fuit necesse ut Adamus sciret hoc pactum, vel non fuit necesse, neutrum dici potest, si enim fuit necesse ut sciret certè innumera commisit peccata: si non fuit necesse, potuit igitur sine cognitione malicia dari aliquod peccatum.

Tertio, si Deus meam voluntatem transfundat in voluntatem

Varij loquendi modi qui sunt synonyma in præsentibus questionibus.

Ratio prima dubitandi.

Secundè.

Tertiò.

voluntatem Adami, & eodem instanti quo ille peccabit, ego eliciam actum charitatis, eodem instanti ero in peccato, & in gratia: Imò similiter per eius penitentiam, & bona opera erimus omnes iustificati. Vnde virgo argumentum, si Deus potuit transferre voluntates nostras in voluntatem Adami in ordine ad peccatum potuit etiam transferre voluntates nostras in voluntatem Christi aut alterius sancti in ordine ad meritum, & sic possemus esse sancti & pramio digni propter opera alterius quod falsum est. Denique posset Deus facere ut nunc ego dormiens censear bene vel malè operari, eo ipso quod bene aut malè Petrus operabitur, quia Deus constituerit illum respectu mei caput morale.

Quart. 4. Absurdum est dicere quod solum Dei decretum est causa peccati originalis, sed si Deus ita transfudit voluntates nostras in voluntatem Adami, solum Dei decretum est causa totius huius peccati, quia fundamentum illius est duntaxat translatio voluntatum nostrarum in voluntatem Adami, ergo translatio illa est impossibilis. Deinde si ego extitisssem quando præceptum impositum Adamo fuit, non potuisssem absque peccato dicere me ratum habiturum quidquid ab eo gestum in eo negotio fuisset, hoc enim est exponere se peccandi periculo, quod non licet, ergo Deus non potuit eo modo transferre voluntatem meam in voluntatem Adami, ut quidquid ille faceret ego facerem.

Ut Respondeatur obscurissimæ difficultati, cui responderi nihil potest quod non sit difficile statuenda esse videntur duo, primum est potuisse omnino fieri ut Deus posterorum omnium voluntates transfunderet in voluntatem primi parentis, in ordine ad observationem huius præcepti, adeò ut interpretatiue ac moraliter nobis esset voluntarium id quod physice ac formaliter erat voluntarium Adamo. Ita censent cum S. Thoma Theologi omnes quos inepitissime damnat nouus Dogmatistes l. i. de statu naturæ lapsæ c. 5. & seqq.

Probatur autem ex supremo Dei dominio in omnes hominum voluntates. Deus enim ita dominatur omnibus hominum voluntatibus ut primum parentem potuerit constituere personam publicam, & in eius voluntate moraliter includere voluntates omnium si contingit ut voluntas vnus reputetur voluntas eorum qui cum eo habent aliquam vnitatem; potuerit autem omnes Adami aliquam habebant vnitatem cum Adamo, ergo poterat ex supremo suo dominio efficere ut voluntas eius censeretur moraliter voluntas omnium posterorum Adami: Maiorem declarat S. Thomas exemplo humani corporis in quo aliqua huius vnitatis apparet similitudo sicut enim humanum corpus & singula eius membra cum anima faciunt vnum totale indiuiduum, cuius principium mouens est anima, ita omnes Adæ posterum cum eo totum aliquod vnum constant non indiuiduum, sed specificum, in quo Adam est veluti caput & principium à quo reliqua membra pendent: sicut ergo peccante voluntate hominis peccat totus homo, peccat enim manus, peccant pedes, peccant oculi, quia voluntas est voluntas omnium membrorum: sic peccante Adamo potuerunt peccare omnes eius posterum non physice sed moraliter, quia voluntas illius qui erat constitutus caput, fuit voluntas omnium hominum. Imò cum peccat manus non peccat voluntate quæ sit propria ipsius manus, sed voluntate quæ omnibus membris communis est: sic peccatum Adami moraliter est mihi voluntarium non voluntate quæ specialiter in me sit, sed voluntate communiorum. Deinde idem declaratur exemplo procuratoris aut legati, in quo princeps suam voluntatem reponit & transfundit

quodammodo: adeò ut volente aliquid legato dicatur etiam id velle Rex, qui suas illi commisit vices, quod ergo per se ipsum Rex potest efficere, potest idipsum etiam multo magis efficere ipse Deus. Denique Respublica transferre potest voluntatem pupilli in voluntatem tutoris, ita ut quod physice vult tutor illud ipsum moraliter velle censeatur pupillus. Ex quibus omnibus satis opinor liquet, quod voluntas vnus censeari moraliter potest esse voluntas alterius, ergo ex supremo suo dominio efficere Deus potuit ut voluntas capitis esset voluntas omnium membrorum adeò ut in Adamo continerentur voluntates omnium posterorum eius qui eo peccante, peccarent omnes.

Statuendum secundo est, Deum non potuisse eo modo transfundere voluntates nostras in voluntatem Adami, nisi per pactum quo illum constitueret caput morale omnium posterorum, tum in ordine ad gratiæ transfusionem tum in ordine ad transfusionem ipsius peccati, & ita omnino pactum illud cum Adamo initum esse à Deo à quo Adamus constitutus est omnium caput, & voluntas eius facta est moraliter voluntas omnium. Ita communiter pactum illud Theologi constituunt sine quo negant explicari posse peccatum originale: rider autem Thraſonice hanc doctrinam & pactum illud omne damnat nouus dogmatistes l. i. de statu naturæ lapsæ c. 5. & 15. ut contrarium scripturis & doctrinæ Patrum, neminique notum ante Doctores scholasticos: sed imperitè ille omnino & hereticè.

Primo enim pactum illud Dei cum Adamo initum fundatur apertissime in scripturis Geneſeos 2. *In quacunque die comederis mortem morieris*, quæ verba de hoc Dei pacto esse intelligenda docent Rupertus l. 5. in Geneſim c. 3. Ambrosius & Theophylactus in cap. 2. epistolæ ad Colossenses, & sanè patet quia non solum comminatur Deus Adamo corporis mortem, sed mortem etiam animæ, sed mortem corporis comminatur tanquam omnium capiti transfundendam ad posteros, ergo comminatur etiam mortem animæ ad eodem posteros transfiguram. Deinde aliter intelligi nequit Apostolus Romanorum 5. ubi docet per vnum hominem mortem intrasse in mundum & per eum omnes peccasse: comparat etiam Christum Adamo, adeò ut sicut per vnus inobedientiam peccatores constituti sunt multi, sic per vnus obediētiā iusti constituti sint multi, sed sine decreto & pacto Dei non potuit transire in nos iustitia Christi, ergo sine huiusmodi pacto non potuit nobis nocere Adæ iniustitia.

Secundo, pactum illud apertè sancti Patres agnoscunt varia explicantes de illo scripturæ loca. Hieronymus verba illa Oſeæ 6. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum meum, ibi preuaticati sunt in me*. Chrysostomus verba hæc Apostoli Coloss. 2. *Delens quod aduersus nos erat Chirographum decreti*. Augustinus l. 16. de Ciuit. c. 27. verba illa Geneſeos 17. *Delebitur anima illa de populo meo quia pactum meum irritum fecit*. Sed placet etiam S. Doctorem audire ut os obstruatur illius à quo tota eius doctrina peruersè deprauata est, l. enim 3. de peccatorum meritis *peccauerunt in illo omnes, quoniam in illa natura, in qua omnes generare poterat adhuc omnes, ille vnus homo erant*, l. 47. de diuersis, *quia secundum propaginem carnis omnes in illo eramus, antequam in parente tanquam in radice ibi eramus, sic venenata est arbor ista ubi eramus*, lib. 2. operis imperfecti contra Iulianum, *sed quia in illo qui hoc egit, quando hoc regit omnes eramus*. Quarto autem quomodo in eo eramus nisi per pactum quo constitutus est caput morale omnium, alioqui peccata omnia parentum transirent in filios si nullum esset necessarium pactum Dei.

Conclusio
vnica.

Probatur
ex scripturis.

Probatur
ex Patri-
bus.

Kkk 3

Denique

Probat
denique
ratione.

Denique perspicua ratio est, quia certum est nos peccasse omnes in Adamo, & peccatum illud esse debere nobis voluntarium: implicat autem ut peccauerimus in Adamo, & ut peccatum illud sit voluntarium nisi posito pacto quo Adamus constitutus sit caput morale, in ordine ad derivationem gratia aut peccati: posito autem pacto illo facile intelligitur quomodo deriuetur in nos peccatum, & quomodo illud saltem interpretatiue sit voluntarium: ergo illud pactum sine dubio celebratum est inter Deum & Adamum.

Soluuntur
rationes
dubitandi.
Prima.

Ad primam ergo Resp. voluntatem Adami quatenus constitutus est caput morale omnium posterorum ex Dei pacto, posse moraliter & interpretatiue reputari meam voluntatem, quamvis eam ego nec imperare possim, neque impedire, sicut voluntas capitis reputatur voluntas omnium membrorum, voluntas tutoris reputatur voluntas pupilli, voluntas legati est voluntas Regis. Ego nondum existens dicor liberè velle, moraliter & interpretatiue, non physice ac formaliter, quia scilicet ille vult qui est caput meum morale, in cuius scilicet voluntate, mea continetur voluntas ex Dei pacto.

Secunda.

Ad secundam Resp. Deum ratione dominij potuisse transferre voluntatem meam in voluntatem Adami & constituere illum caput meum morale: sed non posse ratione supremi dominij transfundere appetitum bruti, in voluntatem hominis, quia brutum quando existit non est capax liberæ operationis. Si Adam ante peccatum habuisset liberos iam existentes potuisset etiam Deus tunc constituere illum caput morale respectu illorum, sicut constituere potuit Christum caput eorum, qui iam existerant. Neque propterea esse illi potuissent in peccato & gratia, quia si actum amoris illi eliciuissent non potuissent illis nocere parentis peccatum: videtur autem necesse fuisse ut Adamus sciret pactum illud, & peccatum suum esse peccatum omnium posterorum, alioqui nulla ratione nobis dici posset esse voluntarium hoc peccatum, vnde Augustinus l. 5. contra Iulianum. *In quibus (inquit) nec scientia est, nec conscientia, sed scivit ille, quid fecerit, in quo omnes peccauerunt, & singuli malum inde traxerunt:* neque sequitur quod Adamus infinita commisit peccata quia non cognouit distinctè omnes posteros, sed cognitio eius tendebat in plures per modum vnius, idè vnicum erat eius peccatum, ut patet ex dictis de vnitatem numericam peccatorum.

Tertia.

Ad tertiam liquet ex dictis, quod non possum peccare in alio, si eodem instanti eliciam actum amoris, quia gratia impedit peccatum. Per Adami bona opera & penitentiam non sumus iustificati, quia in ordine ad illa non est constitutus caput nostrum morale. Neque verò absurdum est quod Deus potuerit transferre voluntatem nostram in voluntatem Christi aut alterius sancti, tunc enim bona illorum opera non formaliter sed meritorie solum nos sanctificarent. Ego etiam dormiens possem interpretatiue ac moraliter operari benè aut malè, Petro benè vel malè operante qui constitutus esset à Deo caput, neque hoc aduersarius probabit esse absurdum aut impossibile.

Quarta.

Ad quartam fateor dici nullo modo posse quod Deus vel eius decretum sit causa peccati originalis, quamvis certum sit quod Dei decretum est conditio sine qua tale peccatum non esset. Nemo enim dixerit Deum esse causam omnium peccatorum, quia sine illius præcepto peccatum prohibente nullum esset peccatum, quando Deus transtulit voluntates nostras in voluntatem Adami, quem constituit omnium posterorum caput decretum eius fuit conditio sine qua non esset peccatum, sed non fuit causa.

Concedo quod si ego extitissem quando impositum

Adamo fuit præceptum, non potuissem absque peccato dicere me ratum habiturum quidquid gestum ab eo fuisset, sed nego sequi quod Deus non potuerit transferre voluntatem meam, in voluntatem Adami quia Deus multa sine peccato facere potest, quæ homo non faceret sine peccato.

§. V.

Secunda difficultas, quod peccatum originale ipsum erit Ada peccatum.

Statuebam contra Catherinum, & Pighium peccatum originale vnicuique proprium esse ac intrinsecum, neque ipsum esse Adami peccatum, quod tamen videtur destitui ex doctrina proposita.

Primò, enim peccatum habituale non est aliud quam peccatum ipsum actuale præteritum perseverans moraliter; peccatum originale est peccatum habituale, ergo est peccatum Adæ moraliter perseverans. Imò si peccatum originale est peccatum Adami perseverans moraliter ex defectu condonationis, sequitur quod nullum iam est peccatum originale, quia illud iam est condonatum.

Secundò, peccatum originale Petri, est peccatum Adæ præteritum, peccatum originale Pauli est peccatum Adæ præteritum, ergo vnum est peccatum originale Petri & Pauli, ergo peccatum illud non est singulis proprium.

Tertiò, peccatum originale huius pueri est actus præteritus moraliter manens, sed si actus ille præteritus existeret physice, non esset intrinsecus huic puero nascenti, sed Adamo tantum, ergo nunc non est intrinsecus puero, quia moraliter manere non est aliud quam habere nunc in ordine ad maculandum subiectum id quod haberet si duraret physice.

Resp. peccatum originale quod assignauimus non esse ipsum peccatum Adami solum propterea denominans tur. extrinsecè puerum propter diuinam imputationem, sed esse peccatum Adami propterea fuit moraliter peccatum ipsius pueri & propterea moraliter perseverat: vnde duplex in hoc peccato distingui debet moralitas, altera quæ propter transfusionem voluntatis pueri in Adamum, ille actus Adami est moraliter actus ipsius pueri, id est operatur idem quod operaretur si esset actus pueri: altera moralitas est qua ille actus præteritus, quando non condonatur, censetur moraliter præsens. Fateor peccatum illud Adami physice sumptum vnicum esse: sed esse tamen multiplex secundum utramque illam moralitatem, & omnino proprium ac intrinsecum puero, eodem proportionem modo ac si puer ipse physice peccasset. Vnde

Ad primam Resp. peccatum originale non esse peccatum Adami ut personæ particularis imputatum extrinsecè puero. Sed esse peccatum Adami quatenus fuit moraliter peccatum omnium hominum in quibus perseverat moraliter. Itaque peccatum Adami non perseverat moraliter, quatenus fuit peccatum Adami proprium, sed perseverat quatenus fuit peccatum eorum qui renati non sunt per baptismum.

Ad secundam disting. maiorem peccatum originale, Petri, peccatum est ipsius Adæ quatenus physice fuit peccatum Adæ nego, quatenus moraliter fuit peccatum Petri concedo. Idem dico de peccato Pauli, atque ita peccatum originale Petri & peccatum Pauli sunt duo peccata moraliter.

Ad tertiam disting. minorem, sed si actus ille præteritus existeret physice non esset physice intrinsecus puero, concedo, non esset intrinsecus moraliter nego. Ex quibus omnibus?

Colliges primò, peccatum originale sufficienter esse voluntarium ut participet veram & propriam rationem peccati, ex eo quod moraliter & interpretatiue

Primadifficultas.

Secunda.

Tertia.

Concluditur.

Soluuntur
difficultates
propositæ.
Prima.

Secunda.

Tertia.

Peccatum
Originale
an sufficiat
voluntarium.

ne sit voluntarium. Licet enim verum sit quod concedit Augustinus Pelagianis l. 6. *contra Iulianum* cap. 10. nullum sine opere liberi arbitrij esse posse peccatum, non enim & hoc esset peccatum, quod origine trahe- retur, sine operatione liberi arbitrij, quo primus ho- mo peccavit: negatur requiri vt illud voluntarium sit physicè ac formaliter voluntate illius qui peccat: peccatum enim in genere non significat aliud quàm defectum quemdam moralem in nobis ortum ex de- ficiente aliqua voluntate: quod originali peccato conuenit.

Colliges secundo, peccatum originale non meta- phoricè solum aut improprie peccatum dici sed pro- prie ac vniuocè, adeò vt ratio generica peccati conue- niat tùm personali, tùm originali, quod contra Duran- dum asserunt Theologi esse de Fide, aut certè prox- imum Fidei, quia Scriptura & Patres, absolute illud appellant peccatum, & in Tridentino dicitur quod tollitur in baptismo tollitur totum illud quod veram habet rationem peccati, illud autem quod tollitur est peccatum originale. Licet ratio peccati personalis dic- at voluntarium proprium & formale; ratio tamen communis peccati abstrahit à voluntario proprio, & à voluntario interpretatiuo.

QVÆSTIO II.

De causis & de pœnis peccati originalis.

Questio- nis diuisio. **D**ixi hætenus existentiam & naturam damnatæ huius radices, ex qua omnis hominum massa in- fecta & corrupta est. Venio nunc ad causas illius, qui- bus subiungam & pœnas sequutas hoc tam grande malum, explicata verò est adhuc causa eius formalis, finalis nulla esse potest, restat ergo tantum vt causa exponatur primò effectiua, secundo subiectiua, tertio pœnæ tùm huius, tùm alterius vitæ quas commeruit hoc peccatum.

SECTIO I.

De causa effectiua peccati originalis.

S. Th. q. 8. l. a. 2. 4. 5.

Causa peccati originalis non potest esse phy- sicæ. **H**æc est celeberrima illa quæstio toties olim con- tra Pelagium disputata de traduce peccati, hoc est de causa per quam anima pueri, quæ creabatur à Deo solo expers omnis peccati, in ipso contactu cor- poris inquinabatur peccato. Causam enim physicam habere illud non potest cum non sit nisi macula moralis, habet ergo causam ad summum moralem, quæ non est Deus vt est per se notum, cum ab eo causari non possit malum, vnde solum restare potest peccatum Adæ, de quo duplex est difficultas, prima vtrum illud verè causet omnia peccata originalia, secunda quomodo illa causet.

S. I.

Vtrum peccatum Adami sit vera causa effectiua peccati originalis.

Prima ra- tio dubi- tandi. **R**atio dubitandi est primò, quia vt argumentatur Iulianus apud Augustinum l. 8. de nuptijs & concupiscentia cap. 28. *Non peccat iste qui nascitur non peccat ille qui genuit, per quas igitur rimas inter tot presidia innocentie peccatum fingis ingressum.* Vnde argumentor, quia si peccatum Adæ causaret in pue- ris peccatum posita generatione, sequeretur peccare parentes generando, qui enim facit aliquid ex quo infallibiliter sequi videt peccatum peccat. Imò seque- retur peccare Deum ex cuius solius voluntate poni- tur peccatum.

Secundò, valet etiam argumentum aliud Pelagia- norum apud eundem Augustinum l. 5. *contra Iulianum* c. 3. l. de origine anima as epist. 26. & 157. quod si anima per generationem inquinatur, sequitur omnino, quod illa est ex traduce, id est quod illa non minus tradu- citur à parentibus quam ipsa caro, nam anima deri- uare non potest peccatum ab ea causa per quam ipsa non deriuatur: dicere autem quod spiritualis anima inquinetur per contactum carnis, implicare videtur, quia caro agere non potest in spiritum. Deinde ani- ma vel innocens à Deo creatur, vel nocens: si primum ergo in illo eodem instanti temporis anima nocens est, & innocens cum in primo illo instanti vnita sit corpori: si secundum ergo Deus causans animam, & totum quod in ipsa est creans, causat etiam ipsum peccatum.

Tertio, Achilles erat Pelagij lib. 2. *contra Iulianum* cap. 2. & 3. & l. de peccatorum meritis cap. 8. 9. 10. nul- lus effectus exire potest à causa quæ non actu exilit, sed peccatum Adæ non exilit actu, & parentes ipsi sæpè non habent peccatum originale, ergo illi non possunt in nos transmittere peccatum illud origi- nale.

Dico primò, causam effectiuam immediatam pec- cati originalis aliam non esse quàm personale Ada- mi peccatum quo violauit præceptum Dei de non comedendo fructu ligni scientiæ: peccatum verò Eux aut etiam aliorum parentum non esse causam hu- ius peccati.

Prima pars secundum fidem Catholicam certa om- nino est ex Apostolo Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ira in omnes pertransiit in quo omnes peccauerunt.* Ex- plicatque id Augustinus varijs exemplis, Patris qui ex intemperantia sibi podagram fecit, eamque in po- steros transmisiit; Deinde radices, vitiatæ, nec mirum, nec iniustum est quod radix profert damnata damnatos, inquit l. 3. *contra Iulianum* c. 12. Denique fontis, ni- hil mali habent paruuli nisi quod de fonte traxerunt. So- lus videlicet Adam constitutus est caput, radix, & fons omnium posterorum, & cum eo pactum iniit de transfundenda in posteros gratia vel peccato.

Secunda pars quod sola manducatio fructus veti- ti causâ sit peccati constat ex 2. Geneleos, *Quacun- que die comederis ex eo morte morieris*, vnde argumen- tor. Illud peccatum est causa peccati originalis quod est causa mortis, sed manducatio illa illicita fuit cau- sa mortis, ergo illa etiam est causa peccati, cum au- tem dicitur quod superbia causâ est totius ruinæ, in- telligi debet de superbia quæ iuncta fuit cum ea man- ducatione, illius enim mortuum non fuit sola volu- ptas gulæ, sed appetitus gloriæ illicitus erit sicut dij.

Dices, illud quod causat peccatum originale ve- rum est peccatum: peccatum externum manducationi- nis non est verum peccatum quia nihil addit malitiæ supra ipsum internum appetitum, ergo internus ille appetitus non autem manducatio externa fuit causa peccati. Deinde voluntates nostræ transfusæ in volun- tatem Adami, prius peccauerunt quàm Adamus po- mum comederet, ergo quamuis Adamus pomum non comedisset, contractum tamen à nobis fuisset pecca- tum originale.

Respondeo peccatum externum posse sumi vel so- litariè, vel prout vnum facit cum interno peccato, primo modo nec est peccatum, neque peccatum cau- sat originale: secundo modo est verum peccatum? Idèd distinguitur maior, peccatum originale causat- ur per verum peccatum tùm internum tùm exter- num, concedo, internum duntaxat, nego. Deinde dico voluntates nostras non fuisse transfusas in vo- luntatem Adami in ordine ad transgressionem merè internam,

Secunda.

Tertia.

Conclusio prima tri- partita.

Ratio pri- mæ partis ex scriptu- ris.

Ratio se- cundæ par- tis.

Obiiciun- tur duo.

Soluuntur.